

sibi divinitus commissi incolumitate et bono sollicitudine, aliam **Encyclicam Epistolam** ad cunctos catholices Sacrorum Antistites scribendam censuit. Eiusdem igitur Pontificis iussa omni certe alacritate, et, uti par est, obsequio efficiens, Tibi, Illmme ac Rmmæ Domine, eumdem **Syllabum** his litteris adiunctum mittere propero. Dum vero obsequentissimi mei in Te animi sensus testari et confirmare vehementer gaudeo, Tausta omnia et salutaria Tibi a Deo Optimo Maximo ex corde appræcor.

Romæ die 8. Decembris 1864. Dominationis Tuae Illmæ et Rmmæ

Addictissimus Servus

Jacobus Card. Antonelli.

III. Syllabus

complectens praecipuos nostræ aetatis errores, qui notantur in allocutionibus Consistorialibus, in Encyclicis aliisque Apostolicis Litteris Sanctissimi

Domini Nostri Pii Papæ IX.

§. 1. Pantheismus, Naturalismus et Rationalismus absolutus.

I. Nullum supremum, sapientissimum, providentissimumque Numen divinum exsistit ab hac rerum universitate distinctum, et Deus idem est ac rerum natura et iecirco immutacionibus obnoxius, Deusque reapse fit in homine, et mundo, atque omnipia Deus sunt et ipsissimam Dei habent substantiam; ac una eademque res est Deus cum mundo, et proinde spiritus cum materia, necessitas cum libertate, verum cum falso, bonum cum malo, et justum cum injusto.

Alloc. *Maxima quidem* 9. Junii 1862.

II. Neganda est omnis Dei actio in homines et mundum.

Alloc. *Maxima quidem* 9. Junii 1862.

III. Humana ratio, nullo prorsus Dei respectu habitu, unus est veri et falsi, boni et mali arbiter, sibi ipsi est lex et naturalibus suis viribus ad hominum ac populorum bonum curandum sufficit.

Alloc. *Maxime quidem* 9. Junii 1862. I. *Zoëter Pius IX.*

IV. Omnes religionis veritates ex nativa humanæ rationis vi derivant; hinc ratio est princeps norma, qua homo cognitionem omnium ejuscumque generis veritatum assequi possit ac debeat.

Epist. Encycl. *Qui pluribus* 9. Novembris 1846. — Epist. encycl. *Singulari quidem* 17. Martii, 1856. —

Alloc. *Maxime quidem* 9. Junii 1862.

V. Divina revelatio est imperfecta et iecirco subjecta continuo et indefinito progressu, qui humanæ rationis progressioni respondeat.

Epist. encycl. *Qui pluribus* 9. Novembris 1846. — Alloc. *Maxime quidem* 9. Junii 1862.

VI. Christi fides humanæ refragatur rationi; divinaque revelatio non solum nihil prodest, verum etiam nocet hominis perfectioni.

Epist. encycl. *Qui pluribus* 9. Novembris 1846. — Alloc. *Maxime quidem* 9. Junii 1862.